





115

11

1793

10

DISCEPTATIONES IVRIS

QVAS

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILII SVMMI
PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PROFESSORE PVBLICO
FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSISTORII ECCLE-
SIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE II. MARTII A. S. R. CI^oDCCLXXXII.

H. L. Q. S.

AB ADVERSARIORVM ARGVMENTIS

DEFENSIVS EST

ERDMANNVS KNAPPIVS

SORAVIENSIS.

SPECIMEN I.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

DISSELTATIONIS PARIS

QVAS

PRÆSIDIO

D. GEORGIO STEPHANO
WISSANDIO

PRÆFESSORIS PRINCIPALIS MEDICINÆ SÆCULARIS A CONSUECUTIO
PRÆFESSORIS PRINCIPALIS MEDICINÆ PRÆFESSORIS PRINCIPALIS
PRÆFESSORIS PRINCIPALIS MEDICINÆ PRÆFESSORIS PRINCIPALIS
PRÆFESSORIS PRINCIPALIS MEDICINÆ PRÆFESSORIS PRINCIPALIS
PRÆFESSORIS PRINCIPALIS MEDICINÆ PRÆFESSORIS PRINCIPALIS

PRÆFESSORIS PRINCIPALIS MEDICINÆ PRÆFESSORIS PRINCIPALIS

PRÆFESSORIS PRINCIPALIS

DE ADVERSARIORUM ARGUMENTIS

PRÆFESSORIS PRINCIPALIS

FRUMANNI VEKNARIAN

PRÆFESSORIS PRINCIPALIS

PRÆFESSORIS PRINCIPALIS

PRÆFESSORIS PRINCIPALIS





I.

Paulus apostolus pro Onesimo tantum constituit.

Non conuenit inter viros doctos, qualem obligationem contraxerit Paulus apostolus, qui, vti intelligitur ex epistola ad Philemonem data, v. 18. seq. se id, quod Philemoni debebat eiusdem seruus profugus, nomine Onesimus, eidem esse soluturum, promisit. Erasmus Roterodamus ita hoc negotium interpretatur, vt Paulum debitum Onesimi, fideiubendo in se recepisse, opinetur. Confer *Critic. sacr. Tom. V. p. 1146. seq.* Alii interpretes, vti Grotius et Scipio Gentilis, eum tantum pro Onesimo constituisse, existimant. Sed Heineccius *Institut. iur. ciuil. Libr. 3. Tit. 30. §. 1015.* putat, Paulum potius expromississe, quam quidem opinionem etiam in *Element. iur. ciuil. secundum ord. Pandect. Lib. 13. Tit. 5. §. 101.* tradit. Zachar. Huberus in *Dissertationibus* coniunctim Amstelodami 1721. editis, *Libr. I. dissert. 3.* iam antea eandem sententiam variis argumen-



gumentis propugnauerat. Cum vero magnum discrimen inter fideiussionem, constitutum et expromissionem intercedat, non erit iniucundum, hoc negotium contemplari attentius. Fideiussio accedere quidem poterat omni obligationi principali, cum naturali, tum ciuili, vel etiam mixtae, sed apud Romanos peragebatur tantum stipulatione, cuius formulam proponit Caius *Institut. Libr. 2. Tit. 9. §. 2.* Nostram quidem sententiam perspicue comprobat idem Caius in *l. 1. §. 7. seq. D. de obligat. et act.* Sed, quem fugit, stipulationem desiderare verba legitima inter praesentes ore nuncupata eamque inter absentes iniri haud potuisse? Adde §. 12. *l. de inutilib. stipulat.* Iustinianus quidem in *l. 14. C. de contrah. stipulat.* sanxit, vt instrumento, in quo asseritur, negotium inter praesentes fuisse actum, fides sit habenda. Sed ideo forma stipulationis atque natura fideiussionis haud fuit sublata. Expromissio est species nouationis, qua persona debitoris sic mutatur, vt in locum debitoris prioris alius substituatur, ea quidem conditione, vt prior vinculo obligationis, quo antea creditori fuit obstrictus, soluatur debitorque posterior solus maneat principaliter obligatus. Eiusmodi vero nouatio olim non aliter, ac si stipulatio fuisset interposita, contingere solebat. Prouocamus hic ad auctoritatem Ulpiani, testis satis locupletis. Is vero in *l. 8. §. 5. D. de nouat. et delegat.* ita iudicat: *si ab alio promissam sibi dotem maritus ab uxore, dotis nomine stipulatus sit: non duplari dotem, sed fieri nouationem placet, si hoc actum est, quid enim interest, ipsa, an alius quilibet promittat? quod enim ego debeo, si alius promittat, liberare me potest, si nouationis causa hoc fiat: si autem non nouandi animo hoc interuenit, vterque quidem tenetur, sed altero solente, alter liberatur.* Cum hoc vero loco coniungen-
 da

da l. 2. cod. Tit. vbi idem Ulpianus: omnes res transire in nouationem possunt. Quodcunque enim siue verbis contractum est, siue non verbis, nouari potest, et transire in verborum obligationem ex quacunque causa. Haec cum ita sint, facile intelligitur, Paulum, dum debitum Onesimi abfens per epistolam recepit, nec inter eum et Philemonem stipulatio interuenit, nec fideiussoris, nec expromissoris obligationem suscepisse. Nostrae opinioni quoque fauent Wisfenbachius ad D. de constit. pecun. §. 2. et Westenbergius in dissertat. de iurisprudēt. Pauli Apost. p. 28. segg. Concedimus quidem, si mores Germanorum aliorumque populorum, quibus hodie vtuntur, consideras, inter pacta et stipulationes quoad effectum, nihil esse discriminis. De Gallis Francisc. Connanus Commentar. iur. civ. Lib. 1. cap. 6, 14. haec tradit: itaque et apud nos nullum est stipulationis robur, aut certe non maius, quam cuiusuis nudae passionis. Moribus vero Germanicis idem obtinere, docte olim ostendit Laurent. Andr. Hamberger in dissert. de non usu stipulat. usque pactor. in for. German. cap. 3. quae inserta fuit eiusdem Opuscul. p. 213. segg. Sed obligationem a Paulo contractam non ex institutis peregrinis, nec ex genio nostri saeculi diiudicare debemus. Iure vero Romano ea vnice ad constitutum est referenda, quo quis pacto, se id, quod vel ipse, vel alius debet, esse praefiturum, promittit eoque obligationem, quae praecedat, adauget ac confirmat. Hoc non desiderat verba legitima, nec subtilitatibus iuris civilis, sed regulis simplicitatis naturalis regitur. Ita enim Ulpianus in l. 14. §. 3. D. de constitut. pecun.: constituere autem praesentes et absentes possumus, sicut pacisci et per nuncium et per nosmetipsos et quibuscunque verbis. Omne vero debitum, siue ex lege, siue ex contractu, siue ex alia causa



oritur, vti ex *l. 1. §. 6. D. Tit. cod.* apparet, constituto recipi poterat. Hinc merito notauit Leyserus in *Specim. 152, Med. 4.* eos, qui illud pactum iteratum esse, statuunt. Est quidem pactum iure praetorio corroboratum, sed non semper iteratum. Accuratius dixeris pactum, quo praecedens obligatio denuo confirmatur.

II.

In Saxonia venditor rem immobilem, quam emptori privatim tradidit, vindicare haud potest.

Antiquis moribus in Saxonia fuit receptum, vt dominia rerum immobilium publice et sollempniter fuerint transferenda, auctoritate iudicis, cuius foro subsunt, interposita. Confer *Ius prov. Saxon. Lib. 1. art. 9. et 52. et Lib. 2. art. 54.* Vulgo quidem etiam in hac re confugere solent ad alium locum *Iur. prov. Saxon. Lib. 2. art. 30.* sed minus commode, cum ibi de pactis successoriis, coram iudice ineundis, agatur. Habet vero istud institutum varia eademque eximia commoda. Interest omnium, vt dominia praediorum, siue sunt urbana, siue rustica, satis sint certa atque firma. Etenim tributa, census aliaque onera a possessoribus rerum immobilium exigi solent ad leuandas necessitates publicas. Seruitutem realem fundo imponere potest solus dominus. Idem dicendum, si debitor praedium creditori securitatis causa, pignori obligare, vel illud hypothecae nexu obstringere velit. Huc accedit obligatio praestandi homagium reale, vt iam alia omittamus. Priscum institutum vt observetur, praecipit *Decis. 61* de anno 1661. qua sancitum, vt, nisi alienans coram iudice sese dominio abdicauerit, alter illud recognouerit atque iudicis auctoritas interuenerit, do-
mi-



minium legitimum non transferatur. Saepe tamen accidit, ut quis praedium vendat, emtori vero istud priuatim ac extra iudicium tradat. Tunc vero quaestiones mouentur interdum impeditae de effectu traditionis, priuatim, iudice ignorante, factae. Eisenhartus *Institut. iur. German. Libr. 3. Tit. 8. §. 6.* contendit, plerisque populis iudicalem resignationem adeo visam fuisse necessariam, ut, eadem praetermissa, traditio rei immobilis omni effectu fuerit destituta. Sed, cum placita iuris communis in transferendis rerum dominiis haud sint abrogata, ne quis citra culpam, in graue damnum incidat, diligenter erit cauendum. Media igitur via hic erit ineunda, quae nobis commodum ostendit exitum, ne vel nimis a iure Romano aberremus, vel iuris Saxonici fines turbemus. Iuuat vero in praesenti considerare tantum emtiones ac venditiones rerum immobilium, siue in vrbe, siue ruri sitarum. Est vero satis expeditum, emtionem venditionem solo consensu perfici de re pro certo pretio alteri tradenda. *L. I. D. de contrah. emt.* Hinc scripturam, testes vel aliam sollemnitatem non desiderat. Contractu semel perfecto, uterque contrahens ad eum implendum obligatur. Traditio rei pertinet ad implementum, ut ideo emtor aduersus venditorem ad rem tradendam agere queat. *L. 11. D. Tit. cod. Fac. venditorem rem non tradere, ideo contractus non fit irritus nec ideo ad eum rescindendum, sed potius ad eundem adimplendum, erit agendum. Meuius ad ius Lubec. Part. 3. Tit. 6. art. 1, 6. seqq.* Haec quidem etiam in foris Germanicis obtinent. Neque ius Saxonicum prohibet, quo minus venditor emtori rei venditae possessionem et vsumfructum priuatim tribuat, vel extra iudicium, contractum emti venditi super re immobili ineat. Quin in *Decis. 1.* de anno 1746. fuit constitutum, ut is, qui ultra tempus tricennale, rem



rem immobilem bona fide et iusto titulo possederit, dominium nanciscatur legitimum. Inde vero sequitur, vt venditori tunc, si rem venditam emtori iam priuatim tradiderit, eam vero nunc ab eodem vindicare velit, nullo modo succurrendum sit, siue pretium ab emtore iam acceperit, siue minus. Emptione venditione perfecta, omne commodum ac periculum in emtorem transit. Id quoque in foris Saxoniciis obtinere, licet resignatio iudicialis nondum accesserit, solidis rationibus probauit Illustr. Wernsdorfius in *dissert. de pericul. et commod. praed. vendit. ante resignat. iudic. in Saxon. Elest.* Obstat quoque venditori rem vindicaturae exceptio rei venditae et iam traditae. L. 13. D. de *euict. et l. 3. §. 1. D. de except. rei vend.* Adde Wernher. *Part. 4. Observat. 68.* Ex contractu orta fuit reciproca obligatio ad id, in quod uterque consensus, praestandum. Agat igitur venditor ad soluendum pretium, ita enim suadet lex conuentionis. Neque aliud statuendum, si postea venditor in concursum incidit, cum creditores eiusdem personam repraesentent atque in eius iura ac obligationes transeant. Ne vero quis putet, nos tradere praecepta scholae, non vitae profutura, auctoritate virorum, qui vsum fori probe tenuere, nos muniamus. Prouocamus igitur ad Hommel. *Rhapf. Observat. 347.* Berger. *Oeconom. iur. Lib. 3. Tit. 5. §. 15. 2.* et *Leyser. Specim. 491. Meditat. 5.*

III.

Prana consuetudo praescriptione non inuatur.

Ulpianus in l. 33. D. de *legib.* statuit, diuturnam consuetudinem pro iure et lege in his, quae non ex scripto descendunt, obseruari solere. Multa olim apud Romanos moribus

ribus introducta et ad posteros propagata fuere, quae quidem usu comprobata, non minus, quam iura scripta erant obseruanda, de quo quidem argumento adeunda in primis Richteri *dissertat. de morib. maior. antiquiss. iur. Roman. fonte*, Lips. 1744. edita. Hinc veteres Iureconsulti vbiuis respexere antiquam consuetudinem. L. 32. 35. et 37. D. de leg. Licet vero magna sit iuris moribus recepti auctoritas, cauendum tamen, ne quis consuetudini plus iusto tribuat. Etenim omne ius eum finem habet propositum, vt saluti ciuium consulat eosque ab omni iniuria saluos praestet. Si hoc consilium in moribus diiudicandis sequimur, apparet facile, consuetudines prauas, quae iuri naturali et honestati repugnant, non esse probandas neque eas ideo, quod per longissimum tempus fuerint obseruatae, vim iuris nancisci. Imperatores Romanos ita fuisse philosophatos, eorum constitutiones dubitare haud sinunt. Imperator Constantinus M. in l. 2. C. quae sit long. consuetud. sic rescripsit: *consuetudinis usque longaevi non vilis auctoritas est: verum non usque adeo sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem.* Iosephus Aueranius *Interpretat. iur. Lib. 2. c. 1.* hanc sanctionem ita interpretatur, vt statuatur, consuetudinem quidem non propria virtute vincere legem, propterea quod momenta legis et consuetudinis sint paria, eam tamen legi, quia sit posterior, derogare. Sed haec interpretatio nobis non satisfacit, cum integrum sensum non exprimat, nec, quatenus consuetudo rationi, id est iuri naturali cedere debet,



debet, causam idoneam addat. Certe satis perspicue Iustinianus in *Novell. 134. c. 1.* repudiat consuetudines, quas lucri inhonesti studium repererat simulque rationem, quae eius mentem in uniuersum ostendit, adiicit, his quidem verbis: *male enim adimenta malaeque consuetudines, neque ex longo tempore, neque ex longa consuetudine firmantur.* Cum his amice conspirant iuris pontificii placita, uti ex *c. 11. X. de consuetud. et c. 3. seqq. Distinct. 8.* intelligitur. Neque moribus nostris aliud obtinet. Senckenbergius in *dissert. de iur. obseruant. et consuetud. §. 7. not. c.* ridet eos, qui in consuetudine rationabilitatem desiderant, cum satis rationis sit in eo, quod totus populus comprobauerit. Eandem sententiam iam antea defenderat Thomafius in *dissert. de iur. consuetud. et obseruant. §. 36.* Concedimus quoque, veteres Germanos magis moribus, quam legibus scriptis fuisse vfos atque olim in Germania obtinuisse varias consuetudines aequitati naturali parum consentaneas, quo quidem duella, ordalia, ius litoris, abusus opificum aliaque similia sunt referenda. Quibus quidem, si rem ex genio saeculorum, quibus vigerunt, diiudicas, vis et auctoritas iuris consuetudinarii denegari non potest. Sed, cum ius Romanum in uniuersa Germania publice fuerit receptum, illud vero in uniuersum improbet mores sanae rationi contrarios, ista instituta priscam barbariem et superstitionem redolentia, iam omni iuris praesidio sunt destituta. Carolus V. in *Constitut. crim. crim. Art. 207. et 218.* quasdam consuetudines perverfas



versas abrogauit. Non desunt, qui malae consuetudinis auctoritatem praescriptionis auxilio iuuare cupiunt, quorum quidem opinio nobis non probatur. Haud negamus, interdum praescriptionem etiam contra legem prohibitiuam locum habere, cum leges, siue iubeant, siue prohibeant, siue permittant, parent vim ostendant. Praescriptionem ordinariam hic sufficere, statuit Hommelius Rhaps. *Observat.* 273. Alii vero solam admittunt immemoriam, uti Wernherus *Part.* 4. *Observat.* 5. quorum quidem opinio uti est tutior, ita quoque magis recepta. Tunc vero is, qui contra legem prohibitiuam ultra hominum memoriam, quid suscepit, per modum priuilegii vel dispensationis, ab obligatione legis exemptus esse censetur. Quae adhuc diximus, ea sic erunt accipienda, ne quis existimet, prauam consuetudinem praescriptionis praesidio esse munitam. Quae enim iuri naturali sunt contraria, ea arbitrio hominum haud sunt obnoxia et, licet a pluribus hominibus simili modo per longum temporis interuallum, fuerint peracta, semper manent facinorosa voluntati diuinae aduersantia. Neque lapsus temporis tribuere potest facultatem delinquendi. Confer in primis, ea, quae Iacob. Rauus in *Principiis doctrin. de praescript.* §. 189. seq. monuit. Vti igitur prauam consuetudinem usus non excusat, ita quoque eandem nulla inuat praescriptio. Huc pertinent paroemiae iuris Germanici: *hundert Jahr unrecht ist keine Stunde recht*, item: *Mißbrauch ist keine Gewohnheit*, quarum mentem explicauit Eisenhartus in



Grundsätzen der deutschen Rechte in Sprüchwörtern. p. 21. seqq. Ad consuetudines prauas Leyserus in *Specim. 9. Medit. 4.* refert quoque derisorias, quae nullam utilitatem praestant, alios vero contumelia afficiunt, cui quidem libenter subscribimus, memores praecepti naturalis, ea, quae nemini prosunt, aliis vero nocent, esse fugienda. Refert Wernherus *Part. 4. Observat. 92.* alicubi inter rusticos consuetudinem inualuisse, ut illius, qui poenam a ceteris dictam soluere recusabat, domus, obiecta fossa, clauderetur eidemque cum familia et pecoribus suis egrediendi facultas adimeretur, eamque tamquam irrationabilem haud tolerandam esse, censet.

IV.

Iuramenti delatio super dominio locum non habet.

Paradoxon tradere videmur, dum statuimus, super dominio iusiurandum deferri haud posse. Constans enim fuit omnium Iureconsultorum opinio, ad lites commode expediendas nullum remedium fere iureiurando esse aptius. Nec est dubium, quin ex mente iuris Romani super omni actione, modo agatur ciuilitur, non criminaliter, hoc remedium locum habeat. Sic enim tradit Ulpianus in *l. 3. §. 1. D. de iureiur. : quacunque autem actione quis conueniatur, si iurauerit, proficiet ei iusiurandum: siue in personam, siue in rem, siue in factum, siue poenali actione, vel quavis alia agatur: siue de interdito. Cum quoque reo integrum*

tegrum fit, iusiurandum sibi delatum auctori referre, Paulus in l. 38. Tit. cod. putat, manifestae turpitudinis et confessionis esse, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre. Huc accedit, quod iuramenti delatio speciem transactionis contineat, ideoque neuter litigator iure conqueri possit de facta sibi iniuria. Si reus contra spem et opinionem auctoris iurauerit, hic sibi imputet, quod remedium lubricum elegerit. E contrario reus non habet, quod queratur, si auctor iuramentum relatum praefiterit. Praeterea non desunt leges expressae, quae facultatem aduersario iuramentum super dominio deferendi, permittunt. Etenim Ulpianus in l. II. §. 3. D. de iureiur. hac de re ita iudicat: *si, cum de hereditate inter me et te controuersia esset, iurauero, hereditatem meam esse, id consequi debeo, quod haberem, si secundum me de hereditate pronunciatum esset.* Auctor igitur rem vindicaturus, per iusiurandum ad optatum litis exitum perducitur. Sed aliam speciem proponit idem Iureconsultus in l. 7. §. 7. D. de Public. in rem act. his verbis: *si petenti mihi rem iusiurandum detuleris egoque iurauero, rem meam esse, competit Publiciana mihi, sed aduersus te duntaxat. Ei enim soli nocere debet iusiurandum, qui detulit. Sed, si possessori delatum erit iusiurandum et iurauerit, rem petitoris non esse, aduersus eum solum petentem exceptione utetur, non ut habeat actionem.* Huic quoque opinioni nouum robur conciliare videtur l. 4. C. de probat. ita concepta: *proprietatis dominium non tantum in-*



strumento emtionis, sed et quibuscunque aliis legitimis probationibus ostenditur. Id, quod iurato fuit asseueratum, pro vero habetur, quasi satis probatum fuerit: *L. 5. §. 2. D. de iureiur.* Si usum fori spectas, omnem scrupulum tibi eximent homines pragmatici, qui Iureconsultos Vitembergenfes et Lipsienfes ita quoque pronunciaffe, confirmant. *Berger. Supplement. ad Elect. disceptat. forens. Part 2. Tit. 18. §. 9.* et *Mencke in Systemat. iur. civil. secundum Pandect. Lib. 6. Tit. I. §. II.* Sed, si rem suis, vti decet, momenti ponderemus, facile intelligimus, super solo dominio iusiurandum deferri non posse, quia quaestio, num quis dominium habeat, non factum, sed merum ius continet. Ea vero, quae iuris sunt, arbitrio litigatorum non sunt obnoxia. In actione vindicatoria non sufficit solum dominium allegasse. Si reus postea negauerit, dominium ab actore erit probandum. Sed actor parum proficeret, si in probatione nihil nisi nudum dominium adducere et super eo iuramentum reo deferre vellet. Nam et titulus habilis demonstrandus et modus acquirendi ostendendus, quin, auctorem fuisse dominum, simul probandum. Nudis pactis dominia rerum non transferuntur, sed, vt traditio interuenerit, necesse est. *L. 20. C. de pact.* Sed nec sola traditio sufficit, nisi titulus idoneus praecesserit. Rem eleganter expressit Iulianus, qui in *l. 55. D. de obligat. et act.* ita praecipit: *in omnibus rebus, quae dominium transferunt, concurrat, oportet, affectus ex utraque parte contrahentium: nam*
sue



sive ea venditio, sive donatio (sive conductio), sive quaelibet alia causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit, perducitur ad effectum (id) quod inchoatur, non potest. Qui rem alteri tradit, plus iuris, quam ipse habet, in eum transferre non potest. *L. 20. D. de acquirend. rer. dom.* Fac igitur, traditionem fuisse factam ab eo, qui dominus non est, vel, qui potestate alienandi destituitur, num quis, accipientem effici dominum, sibi persuadeat? In probatione domini testibus generaliter de dominio actoris deponentibus fidem non esse habendam, statuit *Leyserus Specim. 99. Medit. 1.* Par adest ratio, si iuramentum in genere super dominio fuerit delatum. Aliud vero dicendum, si super singulis factis, ex quibus dominium oritur, veluti super titulo vel modo, vel etiam super factis, ex quibus dominium colligi solet, istud fuerit delatum. Eiusmodi iuramentum uti apte fuit delatum, ita quoque ab adversario recusari non potest. Ceterum silentio non praetereundum, hodie Collegia, quae Vitembergae de iure respondent, repudiare iuramentum in genere super dominio delatum.

12

... in eam manserit non possit. I. de D. de agnitione etc.
... non est, vel qui postea aliquid debeat, nam
... de agnitione etc. Item de agnitione etc. in pro-
... de agnitione etc. Item de agnitione etc. in pro-
... de agnitione etc. Item de agnitione etc. in pro-
... de agnitione etc. Item de agnitione etc. in pro-
... de agnitione etc. Item de agnitione etc. in pro-
... de agnitione etc. Item de agnitione etc. in pro-
... de agnitione etc. Item de agnitione etc. in pro-
... de agnitione etc. Item de agnitione etc. in pro-
... de agnitione etc. Item de agnitione etc. in pro-

Di Henberg, Diss. 1792/93 ✓

ULB Halle

3

006 009 964







DISCEPTATIONES IVRIS

QVAS

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS SVMMI
PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PROFESSORE PVBLICO
FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSISTORII ECCLE-
SIASITICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE II. MARTII A. S. R. c1o1occlxxxii.

H. L. Q. S.

AB ADVERSARIORVM ARGVMENTIS

DEFENSVRVS EST

ERDMANNVS KNAPPIVS

SORAVIENSIS.

SPECIMEN I.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.